



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

IV. Vtrùm gratiae efficacia consistat in neceßitate, quam inferi voluntati,
vt non liberè, sed necessariò consentiat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

moralem capacitatem recipientis, ideoque potest idem actus fieri per plures motiones gratia efficacia specie distinctas, vel simul, vel diuini operantes, & e contrario possunt actus distincti per eandem prauam gratiam obtineri vel successiue & in diuersis occasionibus, vel simul, si actus ipsi habeant inter se talem connexionem, ratione cuius simul fieri possint, iuxta superius dicta in genere de gratia excitante.

Dicunt autem aliqui, quando plura huiusmodi auxilia ad eundem actum dantur, licet in entitate physica specie differant, in genere moris esse eiusdem speciei, quia ad eundem finem ordinantur, vt ad actum fidei, vel quid simile. Sed non video in his actibus propriam unitatem specificam etiam moralem: nam intra genus causae moralis possunt inueniri modi causandi eundem actum specie diuerſi, causa enim consulens, & causa petens ac rogans, causae morales sunt specie diuersae, & licet ad eundem effectum concurrant, distinctionem in modo causandi conseruant, nec possunt dici esse eiusdem speciei moralis, etiam si in eundem effectum influant, quia vnaquaeque suo modo influit sicut materia & forma, licet ad eundem effectum concurrant, non propterea habet aliquam unitatem specificam, neque in genere entis, neque in ratione causae: non oportet ergo in his auxiliis, quando in se distincta sunt, & diuersum modum causandi moralem habent, aliquam unitatem specificam fingere, propterea quod ad eundem actum concurrant. Et ita Prosper lib. 2. de vocat. gent. cap. 26. numerando varios modos, quibus Deus ad fidem homines trahit, iugendo exhortationibus, mouendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, conqueſum illuminando, & fidei affectionibus inuoluendo, nullam eis unitatem specificam tribuit, sed absolute plura praesidia seu auxilia diuinae gratiae excitantis appellat, quae vt supra dicebam, possunt dici componere vnum adaequatum auxilium sufficiens, vel efficax, non tamen per modum vnius speciei, sed per modum vnius collectionis causarum moralium concurrentium, vel necessariorum ad talem effectum solum in genere gratiae, & vt procedunt ex misericordia seu gratuita liberalitate, & amore Dei, possunt dici habere unitatem moralem specificam in ordine ad Deum moraliter operantem, eo scilicet modo, quo actus externi moraliter diuersi ex intentione finis possunt habere unitatem moralem in genere virtutis, seu boni moralis. Sed haec consideratio extrinseca est ad propriam causalitatem, & rationem auxiliorum gratiae explicandam. nam hoc modo omnia beneficia diuinae gratiae, vt moraliter procedunt à Deo, possunt dici eiusdem speciei, quatenus ab eadem liberalitate, vel misericordia Dei procedunt. Hic ergo respectus hic non consideratur, sed entitas auxilij, vel modus causandi, & in his possunt auxilia data ad eundem effectum inter se distinctionem habere, & e conuerso idem auxilium potest ad varios actus in diuersis temporibus, vel occasionebus hominem mouere, vt explicatum est.

ad illam spectat tam necessitatem, quam varietatem talis auxilij declarare, quod hactenus generatim praestitimus: nunc inquirendum superest, quid sit tale auxilium, in quo tria includuntur, nimirum, quanam motio sit, quem modum causandi habeat, & vnde, quouero modo habeat infallibilem connexionem cum suo effectu, quae tria simul, vt occasio tulerit, tractabuntur, quia non possunt commodè disputatione seiuungi. Solum aduerto ex illis tribus solum tertium posse directè pertinere ad dogmata fidei: nam circa duo prima nihil habemus expressè definitum, vt videbimus, ideoque incipimus à tertio puncto, quatenus in eo cum haereticis est controuersia, vt disputationem inter Catholicos expeditam relinquamus.

In puncto ergo proposito duo sunt errores inter se in vno principio, & fundamento consentientes, & in conclusionibus, seu illationibus extremè dissentientes. Pelagiani enim, & Calvinistae ac Lutherani in hoc conueniunt, quod efficacia gratiae consistit in quadam necessitate, quam Deus infert voluntati, illam liberè operari non relinquendo. Vnde Pelagius eo colore gratiam negauit, ne libertatem negaret, cui efficaciam & necessitatem gratiae repugnare credidit, & ideo fingebat se impugnare Manichaeos, & similes haereticos negantes liberum arbitrium, cum gratiam impugnabat, teste Augustino lib. 2. contra duas epistolas Pelagianorum à principio, & aliis locis. E contrario verò Lutherus, vt refert Concilium Senonen. in principio, nimis anxie fingens vitare Pelagium, factus est Manichaeus, & ante Lutherum praeter Manichaeos, Priscilianistas, Limonianos, eandem haereticam docuerunt prope tempora Augustini, haeretici dicti Pradestinati, & vt refert Faustus lib. 1. de Grat. cap. 3. 7. & sequentibus, & VVicleph. vt refert VValden. in doctrin. fid. antiq. cap. 23. & postea sequuti sunt Calvinum Melanchth. Beza, & alij nouatores, vt supra lib. 1. retuli, & latè Stapleton. in Promptuar. Cathol. feri. 6. in hebdom. 1. Quadrag. num. 4. & in Antidot. ex Actis Apostol. cap. 9. & lib. 4. de Iustificat. cap. 1. Bellarm. lib. 1. de grat. & liber. arbitr. capite 11. & lib. 4. cap. 14. lib. 6. cap. 9. & 11. Ruard. art. 7. Rosenf. art. 36. contra Luther.

Omissio autem errore Pelagij, quia in superioribus satis iam impugnatus est, & quia illatio, seu fundamentum eius explicando concordiam gratiae cum libertate arbitrij eueritur, de errore Lutheri, & Caluini hoc loco dicendum est. Et vt distinctius intelligatur, reuocanda est disputatio ad actum elicitem voluntatis, quo illa praebet consensum gratiae mouenti, quem proinde consensum appellabimus, siue sit amor, siue dolor, siue intentio, siue electio, siue alij similes, omnes enim sunt per consensum voluntatis. Actus autem aliarum potentialium, etiam ipsius fidei, prout est in intellectu, non sunt liberi, nisi per denominationem à consensu libero voluntatis: in hoc ergo tota disputatio versatur. In huiusmodi autem consensu tres proprietates necessariae ad actum liberum distinguendae sunt, scilicet actus fieri à voluntate, liberenter, seu voluntarie fieri, & cum indifferentia fieri, id est, cum potestate non faciendi illum. Lutherus ergo vt radicitus libertatem euerteret, etiam primam conditionem actus voluntatis negauit, dixit enim non fieri ab ipsa effectuè, sed à solo Deo voluntati immitti, ipsa voluntate merè passiuè se habente. Inducebatque comparisonem figuli & luti, qua vitur per Ieremiam Deus, Sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea, cap. 18. & per Isaiam cap. 45. Numquid dicit lutum figulo suo: Quid facis? ad eamque alludit Paulus Roman. 9. dicens, An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud vas?

Lutherus
qua liberta-
tem arbitrij

Ierem 18.

Isai. 45.

Rom. 9.

Dei

C A P I T U L U M IV.

Vtrum gratia efficacia consistat in necessitate, quam inferi voluntati, vt non liberè, sed necessariò consentiat.

Quae in praecedentibus capitulis de auxilio efficaci diximus, omnia pertinent ad exactam explicationem quaestionis, an sit tale auxilium, nam

dem vas in honorem, & aliud in contumeliam. Vnde inferebat, sicut lutum non habet ullam auctiuitatem circa formam, quam artifex inducit, ita neque homo in actibus gratiae, quos à Deo recipit.

3. *Respondere* Sed hæc sententia quoad hanc partem non solum hæretica est, sed etiam stultissima, & ab omni humano sensu aliena. Vt hæreticam ergo damnat illam Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 5. & can. 4. ubi anathematizat dicentes hominem in conuersione sua ad Deum, nihil omnino agere, sed merè passiuè se habere, repugnantem apertissimè Scripturæ sanctæ exhortat homines, *Conuertimini ad me*, &c. quis enim alium exhortetur ad recipiendum, quod à mera voluntate alterius, dantis, seu facientis pender, nisi aliquid ipsum agere oporteat? Est ergo illa prouocatio ad agendum, sicut & illa Petri epist. 2. cap. 1. *Satagite ut per bona opera certam vestram uocationem & electionem faciatis*. opera enim nostra non dicuntur, nisi quæ à nobis sunt. Vnde subdit, *Hæc enim facientes non peccabitis aliquando*. & similia verba, & consilia & præcepta sunt infinita in Scriptura. Vt stultam verò reiciit illam sententiam quoad illam partem etiam ipse Caluinus, dicens, *Quis ita desipit ut hominis motionem à iactu lapidis nihil differre autumet? neque verò quicquam simile consequitur ex nostra doctrina: in naturales facultates hominis referimus approbare, respicere, velle, nolle, &c.* Præcipua verò rationis fundamenta, quibus improbanda est hæc pars, ex aliis duabus conditionibus sumenda sunt, quia nec voluntaria operatio, nec libertas actualis, nec liber usus sine auctiuitate vlla in sola receptione intelligi possunt, ut mox dicam.

4. *Arist.* In secunda conditione nulla est controuersia cum hæreticis: nam euidenti experimento percipimus nos libenter velle, cum volumus, & voluntariè facere quod volumus, vnde neque ipsi hæretici inter se in hoc dissentiunt, ut existimo, quamuis re vera Lutherus consequenter loquendo & negando auctiuitatem voluntatis in suis motibus non potuerit voluntarium admittere, cum de ratione voluntarij sit, ut sit à principio intrinseco cum cognitione, ut est quasi primum principium in doctrina morali, ut constat ex Aristotele 3. Ethicor. & D. Thoma 1. 2. quæst. 6. nam quod ex me non prodit, sed ab alio extrinseco agente immittitur, non potest mihi esse voluntarium, quoad ipsam actionem, vel effectiorem, licet receptio possit esse obiecti uel libera, & tunc oportet ut per alium actum à volente elicitum sit volita. Quidquid verò sit de imperitiâ Lutheri, Caluini, Bacerus, & alij nouatores non solum admittunt voluntarium in actibus gratiæ, sed etiam eo colore excusare volunt errorum suum in neganda libertate. Dicunt enim hominem liberè operari, quia libenter operatur. Et in hoc sensu dicunt esse in nobis liberum arbitrium à coactione, non à necessitate, & ita negant in operibus gratiæ tertiam conditionem actus liberi, quæ est in differentia potentiae, à qua proximè procedit ad agendum, & non agendum, vel ad agendum hoc, aut oppositum eius. Et hæc fuit sententia Caluini lib. 2. institut. cap. 5. 6. & aliorum.

5. *Caluin.* Nec desunt inter Scholasticos, qui ad libertatem simpliciter sufficere putant libertatem à coactione, quæ in actu voluntario inuenitur, etiam si libertas à necessitate desit, sic enim Scotus dixit Filium procedere liberè à Patre, vel Spiritum sanctum à Patre & filio, licet necessariò procedant, quia voluntariè producuntur, & de amore Beatorum videntur eodem modo loqui, in quam sententiam inclinant Castro verb. *libertas*, & Cosmas Philarchus lib. 2. de causa Prædest. cap. 16. & clariùs Iacob Naclantus ad Ephes. 1. in digressionem, quod prædestinatio libertatem non tollat. & Michaël Ba-

ius in suis assertionibus dixit solū violentiam repugnare libertati naturali, quia aiebat, quod voluntariè sit, etiam si necessariò fiat, liberè fieri. Et videtur non nihil fauere Augustinus lib. 1. de grat. Christi cap. 13. dicens, *Præceptum liberè facit, qui liber facit*. quæ verba in eum finem inducit, ut declaret gratiam efficacem non tollere libertatem, sed augere potius, quia cum magna suauitate facit, libenter operari. Vnde tract. 26. in Ioann. exponens verba Christi, *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meum traxerit eum*, inde ostendit tractionem libertati non repugnare, quia si trahitur, voluntate trahitur, neque solū voluntate, sed etiam voluptate. Ac denique in aliis locis sæpe opponit libertatem coactioni, docetque gratiam Dei non cogere hominem, & ideo non tollere libertatem eius.

Sed licet interdum Catholici illo modo loquantur, longè à sensu hæreticorum distant. Illi enim omnino confitentur esse in nostris actibus libertatem indifferentiæ, vnde solum cum eis de nomine si perest quæstio, an perfectum voluntarium, sine indifferentiâ satis sit ut actus absolute possit liber appellari. Hæretici verò simpliciter negant indifferentiæ libertatem, & ita tota controuersia cum eis nobis in tertia conditione actus liberi, nimirum ut cum indifferentiâ fiat, id est, cum libertate à necessitate. Nam hoc est quod Caluinus, Melanchth. Bucer, & alij maximè negant in voluntate nostra à Deo mota. Etenim licet ipsi generalis loquantur, præcipuè verò id contendunt de operibus gratiæ, & de omni consensu voluntatis, quam diuina gratia in nobis operatur: vnde quia mortaliter tunc dicitur quis agere, quando seipsum liberè mouet, ideo interdum ipsi hæretici ita loquuntur, ut dicant hominem ita moueri per gratiam, ut ipse non agat, vel potius non se agat, ad eum modum, quo Aristotel. lib. 1. Magn. Moral. cap. 21. dixit bruta non se mouere, licet physicè & voluntariè se moueant. Sensus itaque huius erroris est, quod sicut bruta necessariò naturæ impulsu mouentur, cui non possunt resistere, ita homines necessariò mouentur impulsu spiritus sancti delectificaci, ut nec possint illi resistere, nec aliud facere, quam id, ad quod impelluntur, & hoc sensu dixit Caluinus, *Spiritum sanctum esse totam aduocantiam*. Item dixit, *voluntatem mouet gratia, non multo antea seculi traditum & creditum est, ut postea electionis nostræ sit gratia obtemperare, aut refrigerari, sed illam efficaciter faciendo*. Item hinc dixit voluntatem nostram non cooperari gratiæ, neque esse pedicellam gratiæ, quos loquendi modos etiam in Augustino reprehendit, quia liberum consensum indicant: nam in moribus gratiæ excitantis non dicitur voluntas nostra cooperari gratiæ, etiam si physicè illos efficiat, quia non liberè, sed necessariò illos efficit, ita ergo de quolibet actu supernaturali voluntatis Caluinus censet.

Fundamentum Caluini supponit in primis necessitatem gratiæ efficacis præuenientis voluntatem in omnibus suis actibus, præsertim supernaturalibus, eamque probat eisdem testimoniis, quibus Catholici vrantur, & nos supra multa adduximus, quia in hoc generali fundamento non est controuersia. Deinde addit Caluinus hanc efficaciam gratiæ præuenientis libertatem esse per veram efficientiam in voluntatem nostram, ita ut illi resistere non possit, quod etiam multi Catholici docent, ideoque illam sententiam tractando, huius partis fundamenta afferemus, quia communius ex his ergo concludit Caluinus per hanc gratiam imponi necessitatem voluntati contrariam libertati. Potuit autem illationem probare his modis, primo, quia tunc potentia liberè operatur, quando positis omnibus prærequisitis ad agendum

gendum potest non agere, vel aliud agere, sed voluntas in operibus gratia, nunquam ita operatur: ergo. Probatur minor, quia vnum ex requisitis ad agendum talem actum est gratia efficax promouens sed illa posita, non potest non agere; ergo. Secundo, quia posita illa gratia actus necessarii fit à voluntate, & illa gratia ponitur ante vsum libertatis; ergo inducit necessitatem simpliciter, quia est suppositio antecedens, quæ libertatem tollit, teste Anselmo lib. de Concord. prædestinat &c. Tertiò, quia illa gratia datur per voluntatem Dei efficacem, quia vult vt homo cum effectu omnino infallibiliter operetur; sed voluntas Dei necessariò infert effectum: nam voluntati eius quis resistit; ergo. Ex quibus omnibus constat. Caluini solum posuisse in his actibus necessitatem ex suppositione. scilicet, supposita motione gratia de se & natura sua efficacis, & in sensu composito respectu illius, quia cum illa motione impossibile est simul poni carentiam actus, & à conuerso non posita motione, impossibile est poni actum; motionem autem dari pro libera Dei voluntate sola. Et nihilominus ob hanc solum necessitatem dixisse gratiam tollere libertatem.

Ad hunc errorem confutandum supponimus in primis de ratione liberi arbitrii non esse tantum libertatem à coactione, sed etiam à necessitate, hoc copiose & eruditè probat Bellarminus libro 3. & 4. de libero arbitrio idèdque in allegandis testimonijs Patrum non immorabor, sed quædam tantum præcipua, & expressiora ex Scriptura; & Augustino indicabo. Primò ergo ex Scriptura est locus notissimus Ecclesiastici 15. *Deus reliquit hominem in manu consilij sui, adiecit mandata & præcepta, si volueris mandata seruare, conseruabunt te. Apposuit tibi ignem & aquam, ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum; quod placuerit ei, dabitur illi.* In quo testimonio quot sunt verba, tot sunt argumenta dictæ veritatis. nam habere rem in manu consilij, nihil aliud est, quàm habere potestatem eligendi hoc, vel illud, iuxta proprium arbitrium, ea enim quæ necessarii sub sunt, non cadunt sub consilio. Quis enim dicat beatum, relinquere in manu consilij, vt Deum videat. Item mandata & præcepta non dantur de necessarijs, vel impossibilibus, item conditio illa si volueris, supponit potestatem non volendi, & est illa phrasia frequens in Scriptura. Denique certa verba euidenter includunt potestatem eligendi inter contraria & opposita, quæ cum necessitate ad vnum esse non possunt. Vnde Caluinus & ceteri fatentur hoc testimonium conuincere, hominem in statu innocentia habuisse voluntatem à necessitate volendi liberam, quia de primo homine ibi Sapiens loquitur: nihilominus verò aiunt, hanc libertatem per lapsum humanæ naturæ fuisse amissam.

Hanc verò friuolam euasione refutauimus in Prolegom. 1. est enim contra omnem rationem, quia libertas illa naturalis est voluntati, & naturales proprietates non fuerunt per peccatum amissæ: nunc verò addimus Scripturam eo modo loqui de hominibus, vel cum hominibus lapsis: nam de homine lapso loquitur idem Sapiens Ecclesiastici 31. cum dicit; *Beatus diues qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abiit, quis est hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua, &c.* Euidenter enim loquitur de hominibus in hoc statu mortali viuentibus, & concupiscentijs ab effectibus temporalibus obnoxij: in quo statu diues maioribus periculis & occasioibus peccandi subditus est; & ideo specialiter beatificatur, & laudatur diuitem, qui affectu diuitiarum non ducitur, & immaculatè viuunt: per hanc autem laudem

dem, & beatificationem ostendit esse in illo libertatem à necessitate, & potestatem volendi, & non volendi, sicut statim expressè subdit, *qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit.* Similiter cum homine lapso loquebatur lex Numer. 3. *In arbitrio viri erit, siue faciat, siue non faciat.* & Paulus 1. Corinth. 7. *Quod vultis faciat, &c.* & similia, quibus non tantum libertatem à præcepto, sed etiam indifferentem potestatem volendi & nolendi nubere aperte declarat, & similiter capite 9. de se dicit, *Non sum liber?* & postea libertatem hanc declarat, quia potestatem habebat manducandi & bibendi ex bonis fidelium, & nihilominus subiungit, *sed non vsi sumus hac potestate.* Igitur erat liber, quia potestatem habebat vtendi, & non vtendi, & hæc est potestas indifferentia, quam vocamus libertatem à necessitate.

Respondent aliter hæretici, hominem quidem secundum se spectatum etiam in natura lapsa habere hanc potestatem, tamen in vsu per diuinam motionem necessitari semper, vt altera potestate definitè vtatur. Sed hoc multis modis rejicitur, primò ad hominem, quia etiam in statu innocentia homo regebatur generali prouidentia Dei, & indigebat motione ipsius, & nihilominus non priuabatur vsu libertatis, vt Caluinus conuictus verbis Scripturæ falsus est. Secundo, quia prouidentia Dei non destruit naturam, sed iuuat illam: nec enim fieri potest, vt homo naturæ suæ libertatem, à necessitate habeat, & simul ex natura sua petat talem prouidentiam, quæ vsu libertatis auferat, quòd si illam non postulat, verisimile non est Deum suo tantum arbitrio talem prouidentia modum ordinasse, cum suauiter omnia disponat, Sapient. 8. ex quo rectè Illatio Augustinus lib. 7. de ciuit. cap. 30. Deum sic administrare omnia quæ creauit, vt rebus singulis suos proprios exercere & agere motus sinat. Tertiò hoc ipsum conuincunt prædicta Scripturæ loca, quia non de sola potestate quasi remota, sed de vsu ipso loquuntur: & ideo ob talem vsum, vel reprehendunt, vel laudant hominem operantem; quia cum tali potestate & libertate hoc, & non illud operatus est, cum possit vtrumque: loquuntur ergo Scripturæ de homine in hoc statu constituto, & prout nunc de facto operatur, vel motus, vel adductus à Deo cooperante cum illo; ergo docent non obstante diuina motione, vel cooperatione absque necessitate, & cum indifferentia potestatis operari. Et ita exposuit Scripturæ testimonia Concilium Tridentinum sess. 6. capite 5. vt statim latius referemus, & alijs modis hanc veritatem confirmabimus.

Solum, quia in contrarium Augustinus allegatur, ex eius doctrina ad eandem veritatem confirmandam pauca subiiciemus. Nam in primis de libero arbitrio præsertim in 3. à principio libertatem adstruit, quæ necessitatem excludat, vnde cap. 1. ait, *Nulla culpa ostendi potest vbi necessitas dominatur.* Estque attentè notandum motum liberum sæpe ibi ab Augustino voluntarium appellari, non tamen ex eo solum quòd sponte fiat, sed quia tam voluntariè fit, vt si homo velit, illum cohibeat, & in hoc distinguit illum à motu naturali lapidis, quod in potestate (inquit) non habet lapsi cohibere motum, qui fertur inferius animus verò dum non vult, non ita mouetur; & ideo naturalis est lapidi ille motus, homini iste voluntarijs & in eodem sensu dicit in fine, *motus, quo huc, & illuc voluntas conuertitur, nisi voluntarius esset; atque in nostra potestatis potestate, nec laudandus esset, neque culpandus.* Et hinc capite secundo vtget difficultatem, quomodo libertas cum diuina præscientia infallibilis cohareat, dicent; *Quomodo est voluntas libera, vbi tam iniquitabilis*

Num. 3.
1. Cor. 7.

9.

10.
Hæretico-
rum alia
responsio.

Rejicitur
primò.

Secundò
rejicitur

Illatio Au-
gustini.

Concil. Tri-
dent.

11
Aug. 11.

Libertas
con-
tra
scien-
tia

divina, ex
corde n. Au-
gust.
Necessitas
libertati
opponitur.

inevitabilis apparet necessitas? quæ difficultas nulla
esset, si libertas tantum esset a coactione, ut per
se patet. Eodem modo loquitur in libro de vera
relig. capite 14. ubi prius ait peccatum adesse
voluntarium, ut nisi voluntarium sit, non sit
peccatum. Et hinc concludit, dubitandum non
esse habere animum liberum arbitrium. Quale
autem sit hoc voluntarium explicat, dicens, ta-
les enim servos suos meliores esse iudicavit Deus, si ei
servirent liberaliter, quod nullo modo fieri posset, si non
voluntate, sed necessitate servirent. Semper ergo quasi
per antinomia nam simpliciter voluntarium vocat
illud, quod liberum est, eique necessitatem op-
ponit.

12.
August.
Et eodem modo loquitur libro primo contra
Faust. capite 5. de civit. capite 10. Multa (inquit)
facimus quæ si nollemus, non utique faceremus, quo pri-
mitus pertinet ipsum velle, nam si volumus, est, si nolumus,
non est. & libro de grat. & libero arbitrio capite 5.
sic ait, Cui dicitur, Noli vini a malo, arbitrium sine
dubio voluntatis eius coniungitur, velle enim & nolle pro-
prie est. & plura specialiter de operibus gratie sta-
tim asseremus. Neque in alijs locis est sibi con-
trarius, licet, ut dixi, interdum liberum vocet
voluntarium, utique perfectum, etiam quoad
determinationem ad unam partem potius quam
ad aliam; & similiter necessitatem aliquando vo-
cat coactionem, quando sit contra modum natu-
ralem operandi voluntatis. Specialiter verò loco
illo de gratia Christi loquimur de libertate non tan-
tum à necessitate, sed etiam à servili modo operan-
di, quod apud Augustinum est frequens; dixe-
rat enim ibi per gratiam fieri, ut non sit terribile,
sed suave mandatum, id est, ut non formidine pene co-
gar esse sub lege, sed libera charitate delecter esse cum lege.
Et sic adiungit, præceptum enim liberè facit, qui libens
facit, utique perfecta libertate. nam qui facit præ-
ceptum, supponitur facere cum libertate indif-
ferentia, quia sine illa non est capax præcepti;
quando verò id facit libenter ex amore, tunc per-
fectè liberè, id est, ut filius, & non ut servus id
facit.

13.
Conclusio.
Hoc ergo catholico principio supposito con-
cludendum est, divinam gratiam efficacem, id
est, per quam re ipsa, sancta opera facimus, pro-
prium modum liberè operandi cum indifferentia
necessitatem excludente non auferre. Hæc assertio
est de fide tradita olim à Patribus contra Pelagia-
nos, & nostris temporibus specialiter definita con-
tra Lutheranos & Calvinistas. Potest autem pro-
batur ex omnibus Scripturæ locis, quibus supra
probavimus dari nobis sæpe gratiam sufficientem
in actu primo, quæ ex pura hominis resiste-
ntia effectum non habet, ut sunt illa, vos semper
spiritui sancto resistitis, vocati, & renuistis: quoties vo-
luis congregare filios tuos, & noluisse. Nam in his & si-
milibus locis ostenditur potestas liberè à necessi-
tate, quandoquidem ex sola sua voluntate non fa-
cit, quod per gratiam potest, dicent fortasse hæc
testimonia solum probare gratiam sufficientem,
non tollere libertatem, de gratia verò efficaci ni-
hil probare: nam hi qui resistunt, non recipiunt
efficacem gratiam. Sed contra videtur primo, quia
si homo cum gratia sufficienti est vere liber ad o-
perandum & non operandum, sicut aliquando
videtur illa potestate ad non operandum, ita videtur
etiam interdum eadem potestate ad operandum;
ergo sicut liberè resistit, ita liberè cooperabitur
gratiae, si velit.

Deinde Scriptura hominem sic vocatum &
per sufficientem gratiam excitatum monet, ne
in vacuum gratiam Dei recipiat, & præcipit,
ut convertatur, & similia Ezechiel. 36. Ierem. 1.
Ioann. 6. ad Philip. 3. ergo supponit esse in pote-

state eius libera actualiter & efficaciter operari
cum gratia, nam qui operari non potest nisi ex ne-
cessitate ab alio motus, non est capax præcepti, aut
exhortationis ad ætalem operationem. Tercio
homines etiam quando per gratiam operantur, necesse
laudantur de bono opere, & digni censentur mer-
cede, & tamquam fideles operari, & cooperatores
Dei, & coadiutores. Matth. 20. 1. Corinth. 3. hæc
autem dici non possunt, nisi de liberè ac moraliter
operante: nam opera ex necessitate, nec laude,
nec mercede sunt digna; ergo non solum qui resi-
stunt, sed etiam qui operantur ex gratia liberè o-
perantur: at in illis gratia est efficax; ergo efficax
gratia non inducit necessitatem contrariam li-
bertati.

Secundò ipsemet Calvinus fatetur, veritatem
hanc multis antea sæculis & traditam & creditam
in Ecclesia esse, nimirum gratiam Dei etiam in his
omnibus qui sanctè operantur, non tollere veram
ac moralem electionem à necessitate liberam, sed
in his etiam operibus verum esse illud, qui potest
transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fa-
cit. hæc enim & similia sine gratia efficaci non
sunt, & tamen liberè & cum potestate non facien-
di sunt, & ita intellexerunt has Scripturas antiqui
Patres. Et vtilias nunc omittamus, id copiose
ostendit Augustinus libro de gratia & libero ar-
bitrio multa congerens testimonia Scripturarum
capite secundo & sequentibus. Vnde Epistola
octuagesima nona, quæstione secunda liberum (in-
quit) arbitrium non tollitur quia iuvatur, sed ideo iuvatur,
quia non tollitur. & lib. sexto de civit. cap. decimo.
Si necessitas (inquit) nostra illa dicenda est, quæ non est
nostra potestate, manifestum est quibus rectè, vel perperam
vivitur, sub tali necessitate non esse. ergo etiam quando
voluntas rectè operatur, sub tali necessitate non
est, cum tamen rectè non operetur sine effica-
ci gratia, & lib. de prædest. sancti. capite quinto.
Credere, inquit, vel non credere, in arbitrio est volun-
tatis nostre; ergo etiam qui credit, liberè credit, quan-
vis sine efficaci gratia non credat, de qua subdit
statim idem Augustinus. Sed præparatur voluntas à De-
mino. non dicit, necessitatur, sed præparatur, quod
longè diuersum est; omnia denique Augustini lo-
ca supra adducta ad probandam gratiam adiu-
vantem voluntatem nostram, & cum illa coope-
rantem in conversione sua, & in alijs operibus
pietatis ad hanc veritatem confirmandam valent,
supposito alio principio eiusdem Augustini, quod
nemo iuvatur nisi qui sponte aliquid conatur, lib. secundo
de peccatorum merit. capite quinto, & in id Psalm.
26. Adiuutor meus esto, &c. Denique ubique Augu-
stinus docet difficilem esse concordiam gratiæ
cum libero arbitrio, simul docet non esse impossi-
bile, & ita esse unum affirmandum, & aliud non
negandum, ut lib. de grat. & lib. arbit. cap. 1. &
seq. & Epist. 46. & 47. Prosper etiam lib. secundo
de vocat. gent. cap. 28. expressè docet efficacem
gratiam non tollere mutabilitatem voluntatis,
quia verò ibi specialiter de dono perseverantiae lo-
quitur, de illo dono disputando locum illum tra-
habimus.

Tercio definita est hæc veritas in Concil. Trid.
sess. 6. cap. 5. ubi docet exordium iustificatio-
sumi à vocatione, quæ peccatores vocatur, & per
excitantem & adiuvantem gratiam ad suam iusti-
ficationem disponuntur, eidem gratia libera assen-
tienti, exponit statim, ideo liberè assentire, quia
neque nihil omnia agit, inspirationem illam recipiens,
quippe qui illam abiciere potest. Vbi apertè declarat,
non tantum liberè consentire, quia volunta-
te consentit, etiam quia sine necessitate consen-
tit, cum potestatem abiciendi inspirationem
retineat. Et hanc libertatem comprobatur, quia cum

in Scriptura nobis dicitur, *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos*, libertatis nostræ admonemur: nemo cum illo modo inuitatur, nisi qui in potestate sua habet & conuerti, & non conuerti. Nec dubitari potest, quin Concilium in toto illo capite generatim de gratia loquatur, quæ interdum sufficiens, interdum efficax esse potest, tum quia nisi gratiam efficacem comprehenderet, hæreticorum sententiæ, quam precipue refellere intendit, non opponeretur: tum quia non satis doceret conuersionem & dispositionem ad iustitiam esse liberam, quia illa conuersione non fit, nisi per gratiam efficacem: illud autem est contra intentionem eius, & contra verbum, ait enim per motionem illam gratia hominem non nihil omnino agere illam inspirationem recipiens, de illo ergo, qui aliquid agit in sua conuersione, iam habet gratiam efficacem. Sit ergo certissimum Concilium agere de tota motione gratiæ præuia, quæ non tantum necessaria est ad posse, sed etiam ad agere liberè, ac subinde gratiam efficacem præuiam includere. Et eodem modo idem definit in can. 4. cuius verba, & multa alia in sequenti capite, & infra contra prædeterminationem physicam amplius vrbegimus. Consentit cum hac definitione Concilium Senonen. in Decreto. fidei cap. 15. vbi efficacem gratiam dicit non tollere libertatem in actu, quia non tale est gratia trahentis auxilium, cui resisti non possit. censet ergo hanc libertatem esse à necessitate, & hanc non indecere auxilium efficax, quia potestatem resistendi relinquit.

16. Et ante Concilium Tridentinum indicauit hanc veritatem Concilium Araucanicum, quatenus in can. 8. 15. & 25. docet liberum arbitrium per peccatum primi hominis fuisse infirmatum, inclinatum, & attenuatum, & ita læsum, ut sine gratia Dei nihil boni possit operari. Et ita tantum abest, ut per gratiam tolli dicat liberum arbitrium, ut potius reparari dicat: imò quatenus amissum fuit per peccatum, dicit per illum reddi, qui potuit illud dare. Dicitur autem amissum, ut supra exposui, quantum ad potestatem sanctè operandi, nam quia hæc potestas per gratiam datur, ideo per eandem dicitur libertas arbitrii reddi, ergo non tollit gratia libertatem, sed restituit illam, iuxta verbum Christi Ioan. 8. quod idem Concilium allegat, *Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis.* & hanc libertatem idem Concilium docuit can. 23. dicens, *Quando homines ita faciunt, quod volunt, ut diuinè seruiant voluntati, quamuis volentes agant, quod agunt, illius tamen voluntas est, à quo preparatur & iubetur, quod volunt.* Et can. 25. propter eandem libertatem dicit, *Baptizatos per Christi gratiam, Christo auxiliante & cooperante posse, quæ ad salutem pertinent, si fideliter laborare voluerint, adimplere.* Sunt etiam valde notanda verba Concilij Tolletani IV. cap. 65. *Sicut homo propria arbitrii voluntate serpenti obediens perit, sic vocante se gratia Dei propria mentis conuersione quisque saluatur.* Vbi est exponenda comparatio, tanta enim libertate dicit hominem conuerti per gratiam, quanta contra gratiam peccauit, sicut ergo peccauit cum libertate excludente necessitatem, ita & nunc per gratiam operatur. Idem docet Concilium Valentin. in Gallia tempore Lotharij cap. 6.

17. Rationes ad hanc veritatem confirmandam sunt ferè generales de libertate arbitrii quæ cum proportionem sunt applicandæ. Primò & quasi à priori, quia gratia quantumuis efficax non destruit naturam, sed perficit, ergo non tollit vsum naturalis libertatis, sed perficit. Secunda, quia gratia dat posse operari si homo velit, & iuuat ad operandum, quando homo vult: ex neutro autem sequitur ablatio libertatis, imò ut verè iuuat, oportet, ut illam non auferat. Tertia à posteriori, quia alias

Fr. Suarez de Gratia Pars II.

homo esset incapax præceptorum, & auxiliorum supernaturalium, & meriti, ac mercedis, &c. iuxta quam rationem considerandum est, licet absolute loquendo non implicet contradictionem, Deum per aliquam motionem præuiam necessitare voluntatem humanam, nihilominus id repugnare, si seruanda sunt proprietates moralium actuum, quas de facto, & secundum fidem Deus obseruat. Vnde quoad hoc error Caluini contradictionem inboluit, præterquam quòd impiè etiam loquitur contra diuinam bonitatem. Declaratur & probatur, nam in primis ille hæreticus non solum asserit Deum per motionem gratiæ necessitare voluntatem nostram ad actus bonos, sed etiam per alias motiones similes necessitatem inferre ad actus prauos, etiam intrinsecè malos: hoc autem impium est, & contra diuinam bonitatem, & sapientiam, & ita ex hoc capite inuoluit omnimodam repugnantiam, quia repugnat Deum non prudentissimè & honestissimè operari. Deinde constat ex Scripturis actus nostros ita fieri à nobis, ut possint prudenter præcipi & prohiberi, quantum est ex parte modi operandi nostri: nam de facto præcipiuntur & prohibentur à Deo, si autem Deus necessitaret homines ad hos actus, inepta esset talis prohibitio, vel præceptio: ergo cum hac proprietate etiam repugnat illa necessitas. Simile est de ratione meriti & demeriti, præmij & supplicij, quid enim magis iniustum, quam necessitare hominem ad aliquid faciendum, & postea eum punire, quia id facit: & similiter cessaret ratio præmij, si homo nihil de sua libertate in illo promerendo adhiberet, ideoque non posset Deus per iudicium verum, seu tanquam iudex causas hominum, ut sic dicam, terminare, sed solum per potentiam, & absolutum dominium. Docet autem Scriptura Deum longè aliter providere hominibus, cum diuina: ergo prouidentia repugnat illa necessitas. quæ argumenta & similia ex sacris litteris copiose locupletat Augustinus libro de gratia & libero arbitrio.

Fundamentum autem Caluini non eodem modo soluitur à Catholicis, aliqui enim putantillationem inficiari neminem posse, & ideo posteriorem partem de auxilio physico prædeterminante falsam esse putant, quapropter ad iudicandum in quo Caluinus quoad suum fundamentum errauerit, quid sit auxilium efficax, & in quo eius efficacitas consistat, & præsertim an physicè prædeterminet voluntatem, diligenter inuestigandum est.

C A P I T V L U M V.

Virum auxilium efficax sit excitans, seu in aliqua excitatione positum, præsertim iuxta mentem Augustini.

R Eiectis hæreticis, superest controuersia cum Scholasticis, quæ in hoc maxime posita est, ut declarem, quid addat auxilium efficax ultra Auxilium sufficiens. Et quoniam ex dictis in præcedenti libro constat, auxilium sufficiens, generatim loquendo, actu dari per auxilia excitantia, primum omnium inquirendum proponimus, an infra latitudinem auxilij excitantis detur aliquid verè efficax, & à sufficiente distinctum. In quo puncto vna opinio est, auxilia excitantia intra suum ordinem